

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CXXIV. Concio Christi De Vitando Scandalo: De Fraternali  
Reconciliatione: De Natura Fidei: Et De Fidelium Officio. Luc. 17. v. 1.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

## CAPUT CXXIV.

## CONCIO CHRISTI DE VITANDO SCANDALO : DE FRATERNA RECONCILIATIONE : DE NATURA FIDEI : ET DE FIDELIUM OFFICIO. LUC. 17. V. 1.

## RATIO ORDINIS.

**D**E ordine parum hic monendum videtur, præterquam hoc quod ordine optimo hæc ad priora sequantur. Quandoquidem enim Christus vidit Phariseos se subannare & irridere, ob doctrinam de faciendis eleemosynis, & de periculo divitiarum: ideo ne discipuli eo turbarentur, monet de scandalis, quod quidem illa ob malitiam

hominum accidant, debere tamen ipsos in fide firmiores esse, quam ut iis offendantur. Convenit autem hoc 17. caput Lucæ magna ex parte cum 18. Matthæi. Repetit enim doctrinam de scandalo, & de reconciliatione fraterna. Additur autem doctrina contra pervasivum de merito operum, de ingratitude humani ingenii, de vastatione Hierosolymorum, & sine seculi.

## CONCIO CHRISTI DE VITANDO SCANDALO, RECONCILIATIONE FRATERNA, NATURA FIDEI, ET OFFICIO FIDELIUM.

LUC. 17.

1. Εἶπε δὲ πρὸς τοὺς μαθητὰς, ἀνεύδεκτόν ἐστι τῷ μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα, καὶ δεῖ δι' ἑρχεταί.
2. Λησιτελεῖ αὐτῶν, εἰ μὴ ὁ ὄνικος περιεκεταί περὶ τοῦ τραχήλου αὐτοῦ, καὶ ἐρριπταί εἰς τὴν θάλασσαν, ἢ ἵνα σκανδαλίῃ ἓνα τῶν μικρῶν τέτων.
3. Προσέχετε ἑαυτοῖς, ἵνα μὴ ἀμαρτήσῃτε εἰς τὸ ὄνειδος ἀδελφῶν ὑμῶν, ἐπιτιμησόντων αὐτῶν. καὶ ἵνα μετανοήσῃτε, ἀφῆς αὐτῶν.
4. Καὶ ἵνα ἐπτάκις τῆς ἡμέρας ἀμαρτήσῃς εἰς σε, καὶ ἐπιτιμησῶν τῆς ἡμέρας ἐπιστρέψῃ ἐπὶ σε, λέγων, μετανοῶ, ἀφῆς αὐτοῦ.
5. Καὶ εἶπον οἱ ἀπόστολοι τῷ κυρίῳ, πόσους ἡμῖν ποιήσῃ.
6. Εἶπε δὲ ὁ κύριος, εἰ ἔχετε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐλέγετε ἂν τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ, ἐκρίζωθῆτι, καὶ φυτεύθῃ ἐν τῇ θαλάσσῃ, καὶ ὑψηλῶσεν ἂν ὑμῖν.
7. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν δούλος ἔχων ἀρσενεῖον ἢ βοσκῆν, ὃς ἐπιστρέψῃ ἀπὸ τοῦ ἀγροῦ ἔρει, εὐθέως παρῆλθον ἀνάπεσαι.
8. Ἄλλ' ἔχει ἔρει αὐτῶν, ἑτοίμασον, τί δεψησῶ, καὶ περισσάμενος διακονεῖ μοι, ἕως φάγω, καὶ πίω, καὶ ματὰ ταῦτα φάγεσθαι, καὶ πίεσθαι σὺ.
9. Μὴ χάριν ἔχει τῷ δούλῳ ἐκείνῳ, ὅτι ἐποίησεν τὰ διαταχθέντα αὐτῷ, ἢ δοκῶ.
10. Οὕτως καὶ ὑμεῖς, ὅταν ποιήσῃτε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετε, ὅτι δούλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν ὅτι ὠφείλομεν ποιήσαι, ὡς ἀποποιήσαμεν.

1. Aut autem ad discipulos, fieri non potest, quin veniant offendicula, vae autem illi, per quem veniunt.
2. Expediit illi, si mola asinaria ponatur circa collum ejus, & projectus fuerit in mare potius, quam ut offendiculo sit uni de pusillis istis.
3. Cavete vobis: Si vero peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & si penituerit, remitte illi.
4. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit in te, dicens penitet me, remitte illi.
5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.
6. Dixit autem Dominus: Si haberetis fidem sicut granum sinapis, dixissetis huic arbori sycomino, evadicare, & transplantare in mare, & obedisset vobis.
7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso ab agro dicat: Statim accedens accumbe.
8. Ac non potius dicit illi: Para, quod canem, & precinge te, ac ministra mihi, donec edero, ac bibero; & post hæc edito & bibito tu?
9. Num gratiam habet servo illi, quia fecit, quæ ei imperata fuerant? Non puto.
10. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ precepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quia quod debimus facere, fecimus.

Periocha hujus concionis.

**Q**uia hæc doctrina de vitando scandalo à Christo quoque Matth. 18. v. 7. tractata est (quam cap. XCII. Harmon. Evangelicæ exposuimus) putant plerique à Luca hic miscellanea scribi, quæ inter se nullo ordine, aut connexionione coherent. Sed hi non considerant, quam gravem

ob causam Christus hæc repetitiones instituerit. Quodnam enim malum ferè frequentius est, quàm alios scandalizare? Et tamen pro re levi habetur: adeo ut hoc ipso pauci non offendantur, quia alios offendi vident. Ideo Christus suos diligenter monet ut scandala caveant, & hoc ipso, quia frequenter

CAPUT

quentia sunt, non offendantur. Nos, quia in prædicto capite Harmon. proluxe memoravimus quæ de scandalo dici possunt, jam tantum ea delibabimus; quæ ad præsentem contextum pertinent.

¶ I. Considerandum, ad quos Christus hanc concionem habuerit. *Sic autem ad discipulos.* Mirum, ad hos directam hanc admonitionem, cum ipsi Spiritu sancto, & dono miraculorum ornati, scandala nihil curare poterant? Resp. omnino indigebant Apostoli hac doctrina duplici nomine 1. Ut sanctis, irrisionibus, contradictionibus Pharisæorum, dum Christo conversabantur: item postea, quando in officium Apostolarum sui ingressi essent, non persecutionibus totius mundi scandalizarentur, scientes, hoc esse mundi ingenium, quod sese Deo, & omni bono, omni studio & conatu opponit, & pios, tam publice, quam privatim offendit. Contra hoc Apostoli sese præparant, ne scandalizentur. Deinde fuit hæc doctrina Apostolis necessaria, ut præmonerentur, ne ipsi alios scandalizarent, quod & doctrina, & vita aut moribus, & defectione à Christo fieri potuisset. Certe scandalo non caruit, quod Petr. Gal. 2. v. 14. non recte incedebat ad veritatem Evangelii: & nisi Paulus severa sua admonitione illud avertisset, plurimum damni dedisset. Sic scandalum plenum fuit, quod Nicolaus, unus ex septem primis diaconis, Actor. 6. v. 5. propriam conjugem prostituere: cujus doctrinam Christus ipse Apoc. 2. v. 15. arguit. Cum quanto scandalo conjunctum fuisse putabimus, quod Judas præceptorem suum prodidit, & in mortem tradidit, Matth. 26. v. 14. unde patet, quam justas Christus causas habuerit, suos Apostolos monendi, ut sibi caveant, ne aliis scandalum præbeant. Quod autem hoc in loco Apostolis dictum est: illud quidem ad omnes Christianos, potissimum autem ad verbi ministros spectat. Hi caveant, ne vel ipsi scandalizentur improbitate & ingratitude mundi: & propterea ab officio suo desistant: neve falsa doctrina, vel improba vita, vel defectione à doctrina veritatis ipsi alios scandalizent. Una hæretica concione verbi ministri quam plurimas animas offendere potest: Sed vae illi, qui id facit: gravissimas enim pœnas Christus adjicit. Sic vero Apostolos & suos animare voluit, ut sciant, se Deo curæ, nec inultos fore, si scandalizentur: cum atrocissimis pœnis à Deo improbi damnandi sint, qui piis offendicula ponunt. Et Apostoli eo minus offendi potuerunt: quia Christus non tantum prædixit, quid sit futurum, sed etiam pœnam prænuñciavit, quæ tales sit secutura.

¶ 2. Quid vero, & quomodo Christus de scandalo concionatur? Generalis ejus propositio est: piis studiose scandala esse cavenda, ne vel ipsi sibi, vel aliis impedimento sint in via salutis. Rationes etiam addit. Prima, quia fieri non possit, quin veniant offendicula. In Græco est *ἀνευδέστων*, quasi quod non *ἐνδέχεται*, quod non vel nunquam contingit, vel accidit, ac proinde est impossibile, quasi *ἀδύνατον* vel *ἀνεπιχρῆστον*. Qui fit autem, quod impossibile sit, non esse scandala, num à Deo ita ordinatum est, ut fatali necessitate ea eveniant? Nequaquam. Deus enim mala non ordinat: sed sequuntur ea ex malitia & improbitate mundi, quæ cum semper in motu sit & efficax, quomodo

Harm. Tom. I.

non necessario sequerentur scandala? Quemadmodum, si quis videat familiam male compositam & omni ex parte dissolutam, atque dicat, impossibile est, quin hæc familia mature intereat. Sic Christus loquitur de mundi improbitate, quam impossibile est, non sequi offendicula. Monet ergo Christus hæc dicendo de lubricitate honeste vivendi in hoc seculo: quia admodum difficile est, in medio improborum honeste vivere. Ideo Pauli admonitio Phil. 2. v. 15. sæpius meditando & observanda. Sitis irreprehensi & sinceri, filii Dei inculpati, in medio nationis prave ac perverse, inter quas splendētis ut luminaria in mundo. Altera ratio: *væ autem illi, per quem veniunt.*

Scandala eo studiosius sunt cavenda, quia suos autores nequaquam excusabunt. Neque enim valebit illa excusatio: quia necessaria fuerunt scandala, ideo non potui ego ea præcavere. Nam non talis hæc est necessitas, quæ mutari nequeat, sicuti loripes necessario claudicat: sed est necessitas contingentia, quæ per Dei gratiam per piæ preces, & per sollicitam ac providam conversationem cum hominibus facile præcaveri potest. Tertia ratio, à pœnarum gravitate, quæ moneat scandalorum autores. *Expedi illi, ut mola asinaria ponatur circa collum ejus, & projectus fuerit in mare potius, quam ut offendiculo sit uni de pusillis istis.*

De *μύλος ἀσίνης* seu Mola asinaria dictum est Matth. 18. ut & de aliis quibusdam, quo lectorem remittimus.

Demersio in mare, pro atrocissima pœna in mundo habetur: quod scilicet tantum sit *βδελύγµα* & abominatio, ut periculum sit, ne & terra & aer ab ipso contaminentur, nisi in profundissimum mare sepeliatur. Ac Christus restatur illam pœnam levem, & latu faciem videri posse, etiam si molari lapidi collum ipsius alligetur, quod sanè extremam desperationem in submersione afferre potest, respectu ejus, si quis propter datum scandalum in profundum inferni conjici debeat. Ergo ob enormes illas, & judicibiles pœnas magno studio cavendum, ne quis scandalum autor sit. Quod vero in primis dicit cavendum esse, ne quis offendiculo sit *uni ex pusillis istis*, non hunc habet sensum, quasi tantum pusillorum scandalum sit cavendum, quoad majores vero & superiores non curandum; sed respicit Christus mores & ingenia filiorum hujus seculi, qui vel maxime scandala excitant, & si eo nomine moneantur, ut horum vel illorum rationem habeant, & talia, quæ cum scandalo conjuncta sunt, intermittant, mox excipiunt: Et quis est iste sutor, sartor, vel mendicus, ut in ejus gratiam hoc vel illud intermittam? Quid ad me peregrini isti erronei, quos tanto opere revereri debeam, ut in eorum gratiam meos mores mutem, sed hi ipsis displicent, aut ipsi iis offenduntur, redeant ad suos, tum scandalum sublatum erit. Hujusmodi sermones satis superbos sepe audimus, & contra illos Christus directum esse vult illud de *pusillis*.

4. Post hæc concludit Christus hanc partem concionis. Ergo *πεσοῦχεν ἑαυτοῖς, caveate vobis*, & probe attendite, ne vel ipsi aliis sitis offendiculo, quia vae illi per quem veniunt scandala: aut, ne scandala, quæ ab aliis proveniunt, vos scandalizent,

Tttt

zent,

zent, & ad lapsum protrahant. Cautione enim ex utraqve parte opus est, & ne nos ipsi demus aliis bonis scandala, & ne vicissim scandala à malis oblata admittamus. Et hæc in præsentia de scandalis sufficiant.

II. Altera pars concionis est, de reconciliatone fraterna. Nam fieri solet, ut etiam fratres non tantum ejusdem confessionis, sed etiam alias conjunctissimi, se mutuo offendant, & sibi invicem scandala præbeant. Hic docet Christus, quid, si illa oriantur, fieri debeat. Licet autem hæc eadem doctrina etiam tractata sit, Matth. 18. v. 21. & à nobis explicata capite XCIII. Harm. tamen etiam hanc repetitionem nequaquam supervacaneam censemus. Quorum enim caro, mundus, & Sathanas nos facile oblivisci facit, eadem ut identidem repetantur, necessitas postulat. De hac autem reconciliatone in præsentia tria potissimum monet.

1. Sicut improborum scandala, quæ nobis obijciunt, merito negligimus & præterimus, ac si petulans canis nos morderet: ita fratrum scandala, quibus nos lædunt, nequaquam negligere debemus. Non quidem ut lædentem vicissim lædamus: sed ut cupidi ejus salutis increpemus ipsum, atque hac *ἰνερπήσει* ipsum ad pœnitentiam provocemus. Hic enim unicus finis esse debet omnis increpationis fraternæ: nimirum emendatio. Quomodo autem hæc increpatio instituenda sit, de eo Matth. 18. prolixè & per gradus agitur, quo lectorem remittimus.

2. Alterum est, ut post increpationem remissio adhibeatur. Sed ne ita simpliciter & nude accipiat, addit Christus, *si pœnituerit*, si signa displicentiæ ediderit, agnoscendo admissum peccatum, & veniam ejus petendo, *remitte illi*, nullam ulterius requiras ultionem, imo ne satisfactio nem quidem illatæ injuriæ. Ergo hinc etiam colligamus, quæ sint partes offendentis: nimirum ut agnoscat admissum crimen, de illo pœnitentiam agat, & resipiscat. Quærat autem quis, quid? si is, qui læsit me, peccatum non agnoscat, increpationem non audiat, imo deterior reddatur, quid faciam? num retinebo offensæ indignationem? Minime. Christianorum est, etiam improbis, & culpam non deprecantibus, ignoscere, & omnem rancorem in corde remittere, Deoque rem omnem contra impœnitentes committere. Si vero ipse postea etiam cognoscat, se peccasse, & pœnitentiam agat, cum quod prius corde remiseramus, etiam ore remittamus, ea ipsa familiaritate, quæ ante reconciliationem non injuria subtrahi potest, testemur ex animo factam esse peccati admissi remissionem.

3. Tertio, ne, quam fratri debemus in condonandis offensis indulgentiam, certis terminis includamus, addit etiam quoties remittere debeamus. *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit in te dicens: Pœnitet me, remitte ei.* Vocula *septies* numerus finitus hic ponitur pro infinito, sicuti in scripturis usitatum est, ob sui perfectionem. Vult igitur Christus dicere: quotiescunque in te peccaverit, ei quotiescunque resipuerit, remitte illi. Simul tamen hic observandum est, nos hic manere intra terminos à Christo constitutos, qui de certa specie offensæ, nimirum fraterna, agit. Nam si petulans quispiam auditor

Ecclesiam, aut etiam malitiosus subditus magistratum septies aut sapius offendat, ille nequaquam hac sententia Christi se tueri potest. Imò etiam ille, qui frater esse non vult, & offendit, veniam non postulabit. Sit ergo mihi tanquam ethnicus & publicanus, Matth. 18. v. 17. & tamen meum esse debet, ut facilis sim ad condonandum.

III. Tertia pars concionis de natura fidei; ad hanc doctrinam proponendam Apostoli occasionem præbuerunt Christo sua petitione. *Adauge, sive προσθήσεις*, appone & adde nobis fidem. Non autem putemus Apostolos sine præcedente causa in hanc postulationem prorupisse. Sed ipsi se cum considerant, quas & quam insignes doctrinas Dominus ipsis proposuerit, de agenda pœnitentia, de rectè dispensandis corporalibus à Deo datis donis, de fugienda avaritia, de recto usu divitiarum, de cavendo scandalo, de remissione offensarum in se admissarum. Hasce doctrinas observare, pium quidem, & Christi discipulo, dignum est: sed ubi sunt vires ista perficiendi? Meminerunt autem Christum ante hoc Marc. 9. v. 23. dixisse: credenti omnia esse possibile. Sibi vero aliquoties, ut Matth. 8. v. 26. & 14. v. 31. & 17. v. 20. *ὀλιγοπισθῶν*, & fidei imbecillitatem objecisse, unde eveniat, quod multa non perficere possint, quæ alioquin efficerent, si fidem haberent. In primis vero in perficiendis iis, quæ Christus hæcenus docuit fide opus esse intelligebant. Si quis opes, & bona sua deserere, atque ob Christum voluntariam paupertatem suscipere debeat, is nequaquam id faciet, nisi habeat bonam fiduciam in Deum. Nam diffidentia de bonitate & providentia Dei facit, ut homines hujus seculi multos thesauros accumulent, quod intermissuri essent, si Deo fiderent. Sic nemo citius offenditur, quam qui in fide sunt infirmi. Si quis sit robustus in fide, facile improborum scandala rejicit & repudiat. Proinde rectè Apostoli fidei augmentum à Domino postulant, rogantes, ut ipse det, quod jubet, & quod recens ipsis commendavit, atque ob ejus defectum ipsos culpavit. Sic vero Apostoli nobis & omnibus Christianis exemplum præbent, quomodo verbum Dei, & Christi conciones audire debeamus: ut nimirum iis serio afficiamur, ita ut iis moti ardentè ad ipsum preces fundamus, quo nos Christus suis donis & efficaci fide donet, ut ea quæ audivimus, etiam perficere queamus ad nominis sui gloriam, aliis in exemplum, & in nostram salutem. Nam qui verbum Dei audit, nec ex eo fidem suam confirmat, vel vitam & mores juxta ejus præscriptum conformat, is sibi in judicium & majorem condemnationem audit. Nam servus qui voluntatem Domini scit, & non facit, vapulabit multis, Luc. 12. v. 47. Simul docent Apostoli, à quonam fidei incrementum sit petendum, nimirum à Christo vero Deo. Etenim fides Dei donum, de quo ipse Christus Joh. 6. v. 29. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Concedit autem hoc donum per auditum verbi, ut habet Paulus Rom. 10. v. 17. Itaque hinc etiam patet, licet Apostoli augmentum fidei petierint, illos tamen fide non plene caruisse. Revera enim magnæ fidei testimonium est, quod credunt, ipsum Jesum fidei incrementum ipsorum cordibus adjicere posse: hoc nihil aliud est, quam homine

mine majus quid à Jesu sperare. Quin & hoc ob-  
servatu dignum. Pontificii dubitationem, pro  
magna & Deo grata virtute prædicant. Id si ve-  
rum esset, male precati fuissent, quando fidei in-  
crementum petiverunt. Sed tota scriptura nos  
docet, ut fortes simus in fide, & lætemur contra  
dubitationem. Paulus 2. Cor. 13. v. 5. scribit: Ten-  
tate & probate vos ipsos, an sitis in fide. Anne cog-  
noscitis vos ipsos, quod Jesus Christus in vobis  
sit, nisi forsitan reprobi estis. Hic audimus, velle  
ipsum, ut quisque seipsum probet, an sit in fide: eo  
testatur, eos, qui non agnoscunt Christum in se es-  
se, reprobos esse. Ergo qui sentit se fide destitui, di-  
ligenter pro ea cum Apostolis ad Christum oret.  
Hæc copiosa oratione explicari possent: Sed no-  
bis fundamenta monstrasse sufficiat.

Christus non Apostolis directe ad postulata re-  
spondet; sed de fide miraculosa ita differit, ut ni-  
hilominus alterius justificantis fidei efficaciam de-  
claree, eam ipsis commendat, atque sic innuat,  
recte eos pro augmento fidei rogasse. Respondet  
enim iisdem verbis, quibus etiam Matth. 17. v. 20.  
fidem commendavit, & explicata inveniuntur in  
Cap. LXXXIX. Harmoniæ, & docet, se non ma-  
gnam quantitatem fidei requirere, sed modica fide,  
quæ sit instar *grani sapis*, hoc est, vivax, acris,  
fervens, non autem frigida vel mortua, conten-  
tum esse posse. Talem si habeant, nihil ipsis præ-  
stiti impossibile futurum, adeo ut si *dicerent arbori  
sycamino, enidicare, & transplantare in mare, obediisset  
vobis*. Unicum exemplum, quod ob oculos po-  
situm erat, Christus assumit, & ex eo concludere  
vult, fidem veram alias res maxime spirituales  
longe feliciter aggredi & perficere posse, si maxi-  
me media abesse videantur, Matth. 17. v. 20. no-  
minavit montem, qui forte tum ipsis vicinus erat,  
ut digito eum Apostolis monstrare potuerit. Hic  
nominat arborem sycaminum, quæ absque du-  
bio tum etiam ipsis obvia erat. Sic utrobique  
idem est sensus, De arbore Sycamino quidam cu-  
riose disputant, quænam illa fuerit. Nam, hodie  
nobis species illa arboris non satis bene est nota.  
Alii sicum Ægyptiam, alii morum Ægyptiam; alii  
morum simpliciter accipiunt. Apud Dioscori-  
dem l. 1. cap. 147. *σικαμίνος* & pro moro simpli-  
citer, & pro sycomorom accipitur. Sed ad rem præ-  
sentem parum refert, an morum, an sicum Ægy-  
ptiam intelligas. Quævis enim arbor fue-  
rit, res de fidei efficacia eodem redit. Patres ta-  
men, qui allegoriis in hujusmodi rebus delectati  
sunt, aliquanto diligentius inquisiverunt, ut per  
mori fructum, qui extrinsecus niger est, eo melius  
nigrum diabolum delineare possent. Sed nos hæc  
mittimus. Illud potius spectamus, ut hac fidei  
commendatione excitati, in desinenter ad Chri-  
stum oremus, ut ipse illam in cordibus nostris ac-  
cendat, augeat & confirmet, ut non tantum ipsius  
doctrinam addiscere, ejusque præceptis obtem-  
perare, sed etiam omnis generis scandala & adver-  
sitates in hoc mundo per eam superare possimus.  
Interim non cogitandum quasi Christus petitioni  
Apostolorum non satisfecerit, quia non directe  
ipsi respondit, quod velit ipsis fidem addere.  
Nam omnino omnibus suis concionibus nihil  
aliud fecit, quam quod illorum fidem de die in  
diem auxit; donec post gloriosam suam in cælos

Harm. Tom. I.

ascensionem spiritus sui efficacia in tantum ipsam  
confirmavit, ut toti mundo reformando suffe-  
cerit.

IV. Quarta pars hujus Concionis agit de offi-  
cio fidelium, atque medetur simul & securitati &  
confidentia, si quæ in illis enasci vellet. Quan-  
doquidem enim Dominus in præcedentibus mul-  
ta bona opera à suis requisivit, ut sint liberales in  
pauperes, ut sint voluptatum contemptores; ut  
solicite scandala vitent, ut faciles sint in condo-  
nanda offensa proximo: fieri poterat: ut si quis  
unum vel plura horum perfecisset, sibi ipse per-  
suadeat, se jam officio suo plane defunctum esse,  
jamque velle se quieti dedere, nec quicquam ul-  
terius operari: alius posset sibi ipsi in hisce operi-  
bus placere, se efferre atque jactare, ac si multa  
coram Deo ob hanc suam obedientiam meritis  
esset. Utrisque Christus unico exemplo ex vul-  
gari hominum consuetudine de sumto occurrit,  
& dicit: Nullus est in orbe Dominus, utcunque  
commodus si servus ex diurno labore agri do-  
mum revertatur, ut magno honore eum afficiat:  
sed mox certum ab illo exigit servitium, ut prius  
ipsi cœnam paret atque serviat, postea demum se  
quoque cibo reficiat. Ex hoc vero exemplo Chri-  
stus duo elicit. Unum, quod Christianus talis sit  
Dei servus, qui totam suam vitam Deo debeat, ad  
imam usque vesperam, hoc est, ad ultimam usque  
mortis horam, quæ demum labori finem impo-  
nat. Quod Dei servi simus, de eo nobis constat  
ex creatione, conservatione, redemptione &  
sanctificatione. Domino itaque nostro fidi si-  
mus.

Quamdiu? Apocal. 2. v. 10. Esto fidelis usque  
ad mortem, & dabo tibi coronam vitam. Ergo fi-  
des non facit hominem inertem otio desiderare, sed  
eum impellit, ut quo pluribus à Deo donis orna-  
tus est, eo magis strenue in Domini agro sive vi-  
nea, hoc est, in Ecclesia Dei laboret, quamdiu in  
hac lachrymarum valle eum vivere concessum  
est, donec in patriam cœlestem transferatur. Ut  
enim servus non probatur, qui tantum aliquot  
horas laborat, postea vero otio sese dedit, aut ad  
somnia componit, sed requiritur, ut in labore  
ad vesperam usque perseveret, & postea demum  
hero cœnam paret, priusquam ipse ad mensam  
accumbat: ita nunquam pro fidei Dei servo  
agnoscetur, qui ubi semel atque iterum aliquid  
laude dignum in Ecclesia effecit, mox sibi ipsi feri-  
as indicit, ad quietem se componit, nec ad ulti-  
mum vitam terminum usque Dei gloriam, Ecclesiæ  
ædificationem & plurimorum salutem promove-  
re cupit. Simul autem Christus monstrat, quæ-  
nam sint illa opera, quæ à tali servo facta Deo sint  
grata. Nam loquitur de servo, qui fecit, quæ impe-  
rata fuerunt. Quisque ergo, in sua vocatione ea  
edat opera, quæ à Deo sunt mandata. Neque  
enim hominum traditionibus Deo inservitur, fru-  
stra eum colunt, si maxime diu se istis macerent.  
Quid Deo vel proximo prodest, si maxime Mona-  
chi se jejunii affligant, si nudum corpus cilicis  
vestiant, si omnibus suis statuis cereos accendant,  
si humi cubent, & consimilia à seipsis excogitata  
opera faciant. *Arent agrum dominicum, aut pa-  
scant gregem dominicum, & postea ministrant  
Domino ad cœnam*: sic grata Domino facient. Ita  
verbi

Titt 2

verbi

verbi minister per totum diem vitæ suæ laboret in arvo Domini, tum eradicatione impiarum arborum & herbarum, tum plantatione arborum justitiæ, & novellarum quæ florent in domo Domini, ad gloriam ejus: idem etiam fideliter pascat gregem Domini sibi commissum, providens, ne coacte, sed ut sponte id faciat, non turpis lucri gratia; sed voluntarie. Et quando hoc fecerit, tota die vitæ suæ, tum sine ejus adveniente, statuat se non prius admittendum ad cœnam Domini in regno cœlorum, quam ipso Domino obtulerit fructus laborum suorum, unde ipse pascatur. Hoc enim illud ferculum est, quo Deus cum primis delectatur.

Nonnunquam etiam Dominus fidis suis servis sub finem vitæ immittit graves & diuturnos morbos, quibus eorum patientiam probat, ut tota ipsorum voluntas subjiciatur in obsequium Christi, caro quasi in veru crucis affetur, sicque Christo ex tolerantia suorum gratum edulium paratur. Sic etiam illi, qui officio magistratus funguntur, populum fidei suæ commissum; tum ceu agrum fertilem excolant, tum ceu gregem pascant. Sunt enim & ipsi ποιμένες λαών, pastores populorum.

Si quæ ergo spinæ aut sentes in populo enasci vellent, aratro severæ disciplinæ eas evellant, novale novent, bonis legibus subditos informant, peccandi licentiam coerceant, & in honesta disciplina singulos continere studeant. Curent quoque, ut singuli gregis unitatem servent, ut inter se pacate & quiete vivant, quisque suo jure citra aliorum vel impedimentum vel damnum fruatur. Tale servitium Deo quoque gratum est. Sic patres familias, preceptores & quicumque juventuti instituendæ præfecti sunt, illum agellum quoque Dei esse statuunt, ac proinde in eo plantando, conferendo, rigando & ad fructum promovendo nulli labori parcant, ut Dominus aliquando ipsorum probitate & indole se oblectare possit.

Alterum quod Christus ex illo servi exemplo elicit, hoc est: quod nostris operibus coram Deo nil mereamur. Nam dicit Christus: *Num gratiam habet herus servo illi, quia fecit que ei imperata fuerant? Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia, que præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quia quod debuimus facere, fecimus.* Quemadmodum herus suo servo nequaquam obstrictus redditur, nec ei gratiam habet, etiam si totum diem in agro aret, aut gregem pascat, & sub noctem demum cœnam paret atque ministret, siquidem ad hoc conductus est: sic etiam cœlestis Pater nihil quicquam cuiquam debet, etiam si quis in ipsius præceptis observandis ad extremum vitæ suæ halitum admodum strenuus & sedulus fuerit. Etenim quæcunque facimus, illa ex debito facimus: quia quicquid sumus & habemus, illud omne ex Deo habemus. In ipso vivimus, movemur & sumus, Actor. 17. v. 28. Ipse est noster Dominus. Factor & opifex: iccirco merito

omnia in ipsius honorem rursus expendemus. Hoc Christi dictum omne operum meritum evertit, utcumque Pontificii de eo gloriantur. Nam loquitur Christus hic cum Apostolis jam justificatis & renovatis, & dicit: *cum omnia feceritis, dicite: Servi inutiles sumus.* Et vult ipsos ita dicere, non tantum de operibus, quæ ante vocationem ad Apostolatam fecerunt: nec tantum de iis, quæ initio fecerunt, cum adhuc valde infirmi essent. Sed inquit, cum per Spiritus Sancti gratiam tantum profeceritis, ut omnia feceritis, tamen dicite: *servi inutiles sumus.* De servis fere inutilibus, quando Deus in iudicium cum ipsis intrat, ut juxta opera sua judicentur, pronunciat illa sententia, quæ extat, Matth. 25. v. 30. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium. In utroque enim loco & illic & hic idem vocabulum ponitur, ἀργήτος δῖλος. Et quid mererentur homines? Cum 1. servi sint, qui imperata facere debent. 2. Quicquid boni faciunt, illud non ex se faciunt, sed per gratiam Dei. 3. Opera quoque sunt imperfecta, cum semper aliquid labis ipsis adhæreat. 4. Ex nostris operibus Deo nihil accedit commodi. 5. Afferamus opera quæcunque possumus, nunquam rependimus Deo minimam partem beneficiorum, quæ ipse in singulas horas in nos confert. Alios ergo de meritis gloriari sinamus, nos nos ipsos servos inutiles esse agnoscamus. Quod verò Pontificii semper excipiunt, præmia & mercedem, quæ in cœlo magna futura est, promitti, & hanc nos promereri debere. De eo dici potest: Nos Christianos non esse tantum servos mercenarios Dei; sed ex Dei benignitate etiam ipsius filios, & Christi membra factos esse. Si jam tantquam filii & Christi consortes operamur bona, tum Deus ex gratia nobis pollicetur remunerationem. Et earatione non amplius *inutiles servi* sed *amici Christi* dicimur; Joh. 15. v. 14. dicit Christus ipse: Vos amici mei estis, si feceritis omnia quæ præcipio vobis. Talibus etiam in novissimo die adjudicabit vitam æternam, non tantquam meritum bonorum operum, sed tantquam hereditatem filiorum. Matth. 25. v. 34. Venite benedicti patris mei, hæreditate regnum vobis paratum à constitutione mundi. In hoc textu etiam notandum est verbum *quod debuimus*, ὁ ὡφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν. Eo innuitur, novam obedientiam sive bona opera scripturam in renatis & justificatis non tantum consulere, nec ut rem indifferentem & arbitrariam proponere, sed tantquam rem necessariam exigere propter voluntatem & mandatum Dei. Hinc Paulus sumit illud suum Rom. 8. vers. 12. ὀφείλεται ἔσμεν, debitores sumus, non ut secundum carnem, sed secundum spiritum vivamus, 1. Thess. 4. vers. 3.

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.

Et hæc sunt membra hujus concionis.

\*\*\*

CAPUT

## CAPUT CXXV.

CHRISTUS PROFICISCITUR PER SAMARIAM IN  
GALILÆAM, ET IN ITINERE DECEM LEPROSOS  
VERBO SANAT. LUC. 17. v. 11.

## RATIO ORDINIS.

**S**unt, qui hanc Christi profectionem conjungunt cum illa, aut certe statim subjungunt post illam, quam Lucas descripsit cap. 9. vers. 51. Sed verè, quod tamen pace tantorum virorum scriptum velim, graviter hallucinantur. Nam illic descripsit Lucas Christi iter, quod ex Galilæa suscepit per Samariam Hierosolymam versus ad festum tabernaculorum. In qua urbe & ejus vicina Christus aliquantisper duravit, donec Judæi secunda vice lapidibus ipsum inde expulerunt. Quia vero secum constituerat, quod, antequam pateretur, Ecclesias abs se plantatas in tota Palæstina visitare velit, illamque visitationem per septuaginta discipulos, Luc. 10. vers. 1. denunciari curavit in omni loco, quo ipse ventu-

rus erat. Iccirco hanc visitationem hætenus in Peræa & Judæa perfecit. Nunc Galilæam etiam postrema vice visitaturus, per Samariam, quemadmodum recta iter facienti necessum erat, in eam descendit. Ergo hic longe aliud iter describitur, nimirum quod Christus ex Judæa per Samariam suscepit in Galilæam. Et tamen tota hæc profectio à Luc. 9. vers. 51. ad finem usque hunc titulum retinet, quod *iverit Hierosolymam*, & quidem ut ibi complerentur dies assumptionis ipsius. Nam quæcunque hætenus acciderunt, illa nihil aliud sunt, quam præparatio ad passionem, & consummatio illorum dierum. Quapropter nullum est dubium, hanc profectionem cum priorè illa non esse commiscendam, sed hunc peculiarem locum ipsi tribuendum.

MIRACULUM DECEM LEPROSORUM  
IN VIA SANATORUM.

LUC. 17.

- |                                                                                                                             |                                                                                                              |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 11. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προεῦθεῖ αὐτῶν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ αὐτὸς διήρχετο διὰ μέσων Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας.                  | 11. Et factum est, dum iret Hierosolymam, & ipse transibat per mediam Samariam & Galilæam.                   |
| 12. Καὶ εἰσπρὸχόμενος αὐτῷ εἰς πῖνα κάμινον, ἀπήντησαν αὐτῷ δέκα λεπροσὶ ἄνδρες, οἱ ἕστησαν πόρῳθεν.                        | 12. Et cum ingrederetur quendam vicum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt procul.              |
| 13. Καὶ αὐτοὶ ἤραν φωνὴν λέγοντες, Ἰησοῦ Ἐπιστάτη ἐλέησον ἡμᾶς.                                                             | 13. Et ipsi extulerunt vocem, dicentes, Jesu præceptor, miserere nostri.                                     |
| 14. Καὶ ἰδὼν εἶπεν αὐτοῖς. προεβήτενος ὀπίσθεξάτε ἑαυτὰς τοῖς ἱεροῦσι. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτὰς, ἑκατέρωθεν ἰδοῦσαν. | 14. Quos ut vidit, dixit illis: Ite ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, ut inter eundem mundati sint. |
| 15. Εἰς ἧ ἐξ αὐτῶν ἰδὼν, ὅτι ἰαθή, ὑποσέβη μετὰ φωνῆς μεγάλης, δοξάζων τὸ θεόν.                                             | 15. Unus autem ex illis ut vidit, quod mundatus esset, regressus est cum voce magna glorificans Deum.        |
| 16. Καὶ ἔπεσεν ὀπί πρὸσωπον αὐτοῦ καὶ τὰς πόδας αὐτοῦ, εὐχαριστῶν αὐτῷ, καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαριταῖος.                           | 16. Et procidit in faciem ad pedes ejus gratias agens ei, & ipse erat Samaritanus.                           |
| 17. Ἀποκριθεὶς ἧ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, ἐπεὶ οἱ δέκα ἑκατέρωθεν ἰδοῦσαν, οἱ ἧ εὐθέα πᾶς;                                           | 17. Respondens autem Jesus dixit: Nonne decem mundati sunt, novem autem illi tibi?                           |
| 18. Οὐχὶ εὐρέθησαν ὑποσέβησαντες δέναυ δοξάζων τῷ θεῷ, εἰ μὴ ὁ ἄλλοθεν ἔστ?                                                 | 18. Non sunt inventi redeuntes dare gloriam Deo, nisi alienigena hic.                                        |
| 19. Καὶ εἶπεν αὐτῷ· ἀναστὰς πορεύου· ἡ πίστις σε σέσωκε σέ.                                                                 | 19. Et ait illi: Surgens vade: Fides tua servavit te.                                                        |

## Periocha hujus miraculi.

**S**alvator noster Jesus Christus recte vocatur Malach. 4. v. 2. Sol Justitiæ. Quemadmodum enim sol in cælo nunquam quiescit, sed incessabili motu non tantum ab ortu in occasum fertur; sed etiam modo versus septentrionem, modo ver-

sus meridiem, pro diversitate temporum anni declinat, ut sic terras & maria omnia lustret, ipsisque suæ lucis & caloris beneficium impertiat. Sic Christus in postrema sua profectioe versus Hierosolymam ad suam mortem, non tantum recta linea ad ur-

Ttttt 3

ad ur-